debant & virentia prata oculos obcæcabant, dulce in silvis avium modulamen aures obturarat, lauta piscium captura palatum infecerat, amœnitas hortorum cor à semita Justitiæ averterat. Illi anserem deplumare volebant, sed ne vel cauda in prædam cessit.

CAPUT XXIX.

Examen Consulis Exken coram Fiscali, & Consilio aulico, ejusdémque cum Textore confrontatio.

EAdem puncta, quæ Gochiæ, etiam in hoc consessu Consuli proponuntur, quibus adhuc depravatus ille Textor addere ausus fuit, se vidisse vasculum vini rubelli deferri in arcem Wissensem, quo Sereniſſimus veneno extinguendus foret. Hic rursum idiomate latino narrat Consul Romanam Historiam Varii. Sicut antea Gochiæ germanicè fecerat, se discretioni prudentum Dominorum relinquere, an tali extraneo Textori in his articulis fides habenda esset, quem non puderet tot Generosos Dominos; Marchallum Horstium, Abbatissam Vallis Comitis, & similes accusare, imò nemini ex optimis parcere. quo, ad me ait: credere nequeo, & si mihi mors subeunda sit, filii tamen mei, & filiæ nomen meum ut honestum retinebunt exemplo Thomæ Mori Eximii Angliæ Cancellarii, dum eidem pro fide Catholicâ occumbendum erat. His auditis Fiscalis inquit: Nunquid dixisti te mori malle, quàm Exercitium Calvinisticæ Religionis in vestrâ Ecclesiâ permittere. Respondet Consul: imò verò. Hic consensus non à me, sed à sublimiori potestate dependet, de quo nec Prædicans, nec Gubernator (non obstante meâ sollicitatione)

tione) ullum mandatum exhibere poterunt; sed contrarium verum est, nam Princeps Nassoviæ Mauritius Generalis belgicarum Legionum præfectus expressè Gubernatori in mandatis dedit, ne se statui Ecclesiastico immisceret, sed Catholicis liberum, & tale excitium permitteret, in quo eosdem tempore deditionis repererat, & ut reversalia inter Sereniſſimos Principes concluſa ad amuſſim obſervarentur; quibus & ego pro tempore Conſul exiſtens manu adſtipulari nomine communitatis debui. Cur ergo contrarium quid Juramento meo committerem? Si idipſum permiſſiſſem, reus infidelitatis dici poſſem. De reliquis verò, quæ mihi proponitis, totum mundum in teſtem voco, quia prorſus innocens ſum. His auditis omnes obmuteſcunt, & manibus denuò ferro compactis ad priſtinum cubile deducitur, donec divina Clementia à compedibus talibus devotum ſibi, & fidelem famulum abſolverit, & commiſſæ ſibi in temporalibus gregi reſtituerit. Conſilium Aulicum tandem intelligens Textorem iſtum omnis generis diverſoria bachando, & helluando frequentare, & nihil animi relaxandi gratiâ prætermittere, nec non indies in Caſtro cum Lamberto Charles, Ceporino, & aſſeclis lauta conventicula celebrare, fraudem quandam detegere incipit, quare & eundem carceris condemnat. Ut ex hâc officinâ non ex promptuario Charles & Ceporini merces ſuas jam in lucem proferre cogeretur. Hic folium brevi vertebatur. Suſurrones autem iſti non quieſcebant neque dormiebant, quominus negotium inceptum ſive per vim ſeu fraudem ſtabilirent; nam inprimis Fiſcali denuntiant quendam Lambertum Rogh Civem Huyſienſem maritatum filiæ Abels, quondam Burgravium Liberi Baronis de

Wissen. Huic addunt Abel Abels fratrem Joannis Abels adhuc cælibem, qui ambo tempore Gochensis Captivitatis negotiorum causâ extra patriam fuerant. Producitur adhuc in Theatrum Marcus Schinck, quem Lambertus Charles cum Petro Exken in invasione urbis eâdem violenter expulerant. Hos supradictos pro fugitivis proclamant, addentes: si sibi bene conscii forent, reverterentur utique.

CAPUT XXX.

Dominus Advocatus, & Consiliarius Voest pari passu examinantur, & confrontantur.

PRoducitur inprimis in Theatrum supplicatio exhibita Marchioni Spinolæ, in quâ Catholici quasi verò præfatum Dominum Marchionem additis muneribus pro quadam assistentia, & levamine in negotiis Ecclesiasticis implorent. Hanc dicunt Voest propriâ manu subsignasse. Replicat Voest: jam per duodecim annos Gochiæ non habitavi, quid absurdum magis, quàm subscribere in favorem cujusdam loci, de quo nec damnum, nec emolumentum mihi accrescere potest? Cui quidam Consiliarius Aulicus: Equidem plures novimus Gochiæ non habitantes, qui tamen subscripserunt, has circumstantias nimirum externas quoque subsignasse, nec ipse Textor unquam fassus fuerat, verùm Ceporinus, & Consortes die ac nocte praxibus talibus studebant, quibus Senatum Aulicum deciperent. Progrediuntur ulterius ad litteras Gochiam missas, ex quibus venenum suum haurire conabantur. Verùm Dominus Voest fundamentali ratione demonstrat rixas quasdam inter patrem suum, & reliquos consanguineos ortas fuisse,

qui-